protinus mille in eum Scyllæ rabies latrant, mille charybdes, non iam vacat æmulis, qui dicendi facũ dia periti eum tumido ore lacerant, venena in eum fundũt, blasphemam per vniuersum orbem de eo opinionem disseminant. Qui sane quantam irridendi occasionem præstent hæreticis, contemplari de buissent, cum eos quos assertores Christiani dogmatis, & defensores putabant, confutari nuncvideant & refelli, qui quidem eum a suis impugnatum gaudent quem ipsi hostiliter vincere non poterant. Sic pro dolor mendico opem negant, mœsto solamen, lassum inquietant, exhorrẽtq; peregrinum, immemores nostrum Adamantium illum esse qui a Hierusalem in Hiericho iter faciens incidit in latrones, qui eum spoliauerunt, sauciauerunt, & semiuiuum abeuntes reliquerunt, quem impij ingrati atq; immisericordes homines, non dicam leuitas aut sacerdotes, præterierunt, peregrino errorem inculcantes, qui longe ante cæteros ab errore summa cum animi cura reuocare contenderat: non commiserentur Adamantio qui olim misericordia motus præclaros hortorum fontes altosq; aquarum viuentiũ puteos indefesso spiritu ouibus Christi parauerat: spreuerunt hominem quem cœlestis Hierusalem inter conciues (pium credere fas est) dudum annumerauit. Onefas quod satis nunc̃q; (vt par est) quisq; exhorruit: fleo, suspiro, lachrymo, tuam tantam mi Adamãti gloriam (tanq; floscul) marcescere. Tua me calamitas (etsi nullis fruar virrutum opibus) pientissimi Samaritani officium impellit exoluere. Verum cui te præsidi deouoeam, offeram, qui rem tuam curet, & ea quæ furum manus fecere vulnera oleo deliniat, vino perfundat. nescio, nisi tu R. in Christo P. te illi clementem ptumq; præstiteris, quippe qui nullum pietatis, nullũ misericordiæ, nullum liberalitatis, atq; hospitalitatis munus (quod proculdubio pientissimi pastoris est officium) in me dudum prætermiseris. Sic itaq; in me tuam charitatem atq; obseruantiam perspectam exploratamq; habui, cum omnia quasi per gradus quosdã amoris integerrimi munera percurristi: quam augescere & perseuerare agnoscam cum per te iam in lucem procedere, vires resumere, & aura Gallica frui se gloriari valebit Origenes. Hunc igitur Adamantium qualicunq; nostra opella in pristinã gloriam restitutum, & tibi dicatum perhumane suscipito, eius frequẽti vtere colloquio, sitq; tibi semper comes fidissimus: siue ambulaueris, siue ocieris ad tui animi remissionẽ, semper supperat Origenes: qui iam e paupere diues (velut Iob) effectus, ex humili insignis (tanq; Mardocheus) innumeram cum seruo Abraham iocalium supellectilem suis gerit in loculis, vnde tua insigniri & exornari Rebecca queat. Insuper aquam e diuinis profert puteis qua sitim paruulorum extinguere, ardores concupiscentiarum (quibus pro pudor totus incenditur orbis) sponsæ tuæ lenias, refrigeres. Quod igitur Christo Zacchæus & Lazarus, quod Heliæ Sarreptana mulier, tu exoro sis nostro Adamantio, vt tuæ domui per eum salus, resurrectio, & charismatis oleum efficianturin Christo Iesu, qui te oleo lætitiæ perungat, viuificet, & denicq; saluet. Amen.

E NAVARRA Parisiensi. Pridie Calẽd. Nouẽb. Anno ab incarnatione dñica. M.D.XII.